

COMMENTATIO CONTINVATA  
DE  
NATALI MVNDI

---

INVITATIONI DECENTI  
AD TRES ACROASES PVBLICAS  
SVB INITIVM ET FINEM  
SOLLEMNIS GYMNASII GOTHANI LVSTRATIONIS  
ET POST EXACTAS FERIAS CEREALES  
D. XIV. AVGVSTI  
D. XXVIII. AVGVSTI  
ET D. II. SEPT. A. CIOGCCXLI.  
HORA VII. MATVTINA CELEBRANDAS

---

ET ORATIONES  
IVVENVM STVDIORVM SPECIMINA  
IN LVCEM ADSPECTVMQVE ERVDITORVM  
PROFERRE HAVD DETRECTANTIVM  
BENIGNE AVDIENDAS

---

PRAEMISSA  
A  
IO. HENR. STVSS  
ILL. GYMN. RECT. ET SOCIET. REG. PRVSS. SCIENT. SOC.

---

GOTHAE  
LITTERIS REYHERIANIS.

\* \* \* \*

$\Sigma \Upsilon \mathrm{N} \mathrm{O} \Psi \mathrm{I} \Sigma$ .

- I. *Mundus utrum recte Dei filius dicatur?*
  - II. *Mundi mater quae?*
  - III. *Anima mundi quae?*
  - IV. *Mundus speculum perfectionum diuinarum.*
  - V. *Consilium de adornando thesauro cosmotheologico.*
  - VI. *Mundus Dei templum.*
  - VII. *Mundus Dei bibliotheca.*
  - VIII. *Inuitatio ad audiendas orationes.*
- \* \* \*

**Q**uam nunc Lectoribus eruditis exhibeo continuationem coeptae nuper commentationis de NATALI MUNDI, ea, titulo laxius usurpato, argumentum hoc, non quatenus ad Chronologiam, sed quatenus ad Archaeologiam potissimum spectat, paucis persequetur. Primo igitur loco, cum Deus, tamquam creator & conseruator huius vniuersi, recte dicatur pater mundi, quaeritur, vtrum etiam mundus antiquis dictus sit Dei filius, & vtrum recte ita dicatur? Ad priorem quaestionei huius partem quod attinet, extra dubium est, mundum, quem animatum statuebant, titulo filii Dei ab antiquissimis gentium philosophis fuisse ornatum. Ostendit id ipsa CVDWORTHVS, ita scribens: (a) Ceterum alter hicce Deus, siue mundus, animae compos & intelligentiae, tam Platonici, quam Aegyptiis, non modo templum, & imago, verum etiam filius Dei principis vocabatur. Et quod ad Aegyptios quidem attinet, illis hoc in more fuisse positum, ut mundum animatum Dei filium appellarent, idoneis supra testimoniosis demonstratum dedimus. Ceteros vero idem fecisse populos, id vel CELSI confitat testimonio, qui CHRISTI adscitatores IESVM, propterea filium Dei vocasse criminatur, ut veteres aemularentur gentes, quae mundum ita nominare fuissent solitae: Οπόθεν δὲ καὶ ἀπὸ τοῦτο ἐπῆλθεν αὐτοῖς,

a 2

Geß

(a) System. intellect. p. 627. Quae CVDWORTHVS de Aegyptiis, mundum filium Dei vocantibus, tradit, leguntur in praeclaro ipius opere p. 385. & e libris, Hermetis Trismegisti nomine inscriptis, sunt petita, quos omnino Aegyptiorum placita, sed in fraudem religionis christiana pastim interpolata & incrassata, exhibere contendit. Speciminis loco sufficiente ex iis, que adducit, sequentia, non nisi Latine ex ASCLEPIO. Alterntatis dominus Deus primus est, secundus est mundus. Item: Mundus hic, qui in oculos incurrit, alter Deus est, Deique summi filius. It. Vniuersus mundus magnus est Deus, & imago majoris Dei. Addo MOSHEMII de his celebris, & inde excerptis a CVDWORTHO locis, iudicium, p. 387. Dolo Christianorum, si Aegyptiis persuaderent, non tam nouam,

quam veterem HERMETIS religionem suscipere, qui ad Christianos se se adiungerent, sub eius nomine aliquot libros componentium, ut occurreret homo veteris religionis tenacissimus, ad similem configuebat fallaciam, HERMETISQUE ad scito vocabulo alium exarabat librum, ad homines in officio erga Deos contendens, comparatum. Crassius autem hic philosophatur, cum ad specieabilem hunc mundum Deum secundum & Dei filium vocat: a quasentia, qui tum Aegyptum erudiebant, philosophi, remoti erant. Mundum bi quidem Deum alterum & Dei filium vocabant, sed minime hunc, qui oculis nostris cernitur; verum illum, qui menti tantum et animo patet, seu mundum intelligibilem, quem PHILO divinam rationem, τοῦ θεοῦ λόγον, nominat. Vid. PHILO de Mundi opif. p. 6. PLOTINVS Ennead. V. lib. V. cap. III.

Θεῖς οὐδὲν καλέιν, σπουδάνω. Ἀνδρεῖς παλαιοὶ τόνδε τὸν ιδόμενον, ὡς ἐκ Θεᾶς  
 γενόμενον, παῖδες τε αὐτῆς ηγήτερον περστέπον<sup>τον</sup>. Πάντα γαρ ὅμοιος ἔγος  
 τε κακένος, πάτης Θεός. Quae verba hominis cum recitasset Orige-  
 nes, haec continuo subiicit: Οὐδῆν δε οὐδὲν Θεῖς ἡμᾶς λέγεν, παραποή-  
 ταις τὰ περὶ τῶν πόρων, ὡς ἐκ Θεᾶς γενομένης, ηγήτης οὐδὲν, ηγήτης  
 Θεῶν. Celsus sibi persuadet, nos nomen filii Dei, quo Iesum appellamus,  
 mutuatos esse ab illis, qui mundum Dei opus & filium, immo-  
 ipsum Deum vocant. Iam pergit CWTWORTHVS: Mundum itaque  
 vniuersum, cumque animac partipem, quoniam veteres alterum tan-  
 tum Deum, Deique natum appellarent, nullum omnino dubium cuiquam  
 esse potest, quin iidem principem simul Deum in hoc mundo venerati sint:  
 quod quidem probabiliter hac ratione fecerunt, ut varias eius partes at-  
 que membra personarum deorumque specie & habitu exornarent. Ce-  
 terum, quando mundus Dei filius dicitur, sciendum, proprie & prima-  
 rior intelligi a Platonicis, quibus haec appellatio maxime peculiaris est,  
 mundum idealem atque intelligibilem, complectentem ideas rerum crea-  
 tarum omnium; de quo multa etiam habet PHILO, manifeste platonici-  
 zans, atque inter alia ita scribit, interprete GELENIO: (b) Deus, vbi  
 pro sua deitate praeuidit, imitamentum pulchrum non posse absque exem-  
 plari pulchro existere, nec sensibile quidquam reprobensionis expers fore,  
 quod non archetypo intelligibilis ideae respondat: postquam decreuit vi-  
 sensibile hunc mundum condere, prius formauit simulacrum eius intelli-  
 gibile, ut ad exemplar incorporei Deoque simillimi corporeum absoluueret  
 mundum, recentiore hunc antiquioris effigiem, totidem complexurum  
 sensibilia genera, quot in illo intelligibilia. Interiectis nonnullis, haec  
 latius explicantibus, ita pergit: Ut bonus artifex, ad semel propositum  
 exemplar respiciens, adgreditur designatam suam strukturam e saxis &  
 materie, repraesentans incorporeas illas ideas singulis operis partibus;  
 eodem ferme modo de Deo sentiendum est, qui vbi decreuit ingentem hanc  
 urbem condere, prius formas eius concepit, ex quibus postquam intelli-  
 gibile mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc condidit.  
 Iam vtinam sequentia, admodum certe speciosa, omni ex parte sana &  
 theologiae nostrae confona essent! Quemadmodum igitur illa in archi-  
 tecto praesignata urbs locum extra nullum habuit, tantum impressa arti-  
 ficiis

(b) Libro de Mundi opificio p. 3. extr. 5 p. 4. edit. Parisi. 1640.

ficiis animo: eodem modo ne ille quidem ex ideis constans mundus alibi locum habere poterat, quam in DEI VERBO, QVOD ADORNavit HAEC OMNIA: quis enim alias possit esse locus virtutum Dei, idoneus ad concipiendas, non dico omnes ideas, sed vel unamquampiam earum simplicissimam? est autem virtus etiam mundi effectrix, a vero bono, eum a fonte oriunda. Sed dignus est locus, qui etiam Graece heic legatur. Καθάπερ ἐν ἡ τῷ ἀρχιεπονικῷ προδιατυπωθεῖσα πόλις χώραν ἐπῆρε δὲ ἔκχε, ἀλλ’ ἐνεσφράγισο τῇ τῇ τεχνίτε ψυχῇ. Τὸν αὐτὸν τρόπον γένεται ἐν τῶν ιδεῶν κόσμος ἀλλον ἀντὶ ἔχοι τόπον, ἢ τὸν ΘΕΙΟΝ ΛΟΓΟΝ, τὸν ταττα ΔΙΑΚΟΣΜΗΣΑΝΤΑ, ἐπει τὶς ἀντὶ τῶν δυνάμεων ἀντὶ τόπος ἔτερος, ὃς γένεται ἀντανός ἢ λέγω πάσας, ἀλλὰ μίαν ἀνηρατον ἡλικίην δέξαθαι ἢ χωρηται. ΔΤΝΛΜΙΣ ΔΕ Η ΚΟΣΜΟΠΟΙΗΤΙΚΗ πηγὴν ἔχεται τὸ πέρος ἀληθειαν ἀγαθόν. Cen. Haec ultima verba, mire cum nostra theologia, de generatione τῇ θείᾳ λόγῳ ἐν τῇ παλαιός consonantia, non tamen nostro, sed Platonico sensu sunt intelligenda. Quis autem sit sensus ille Platonicus, in gratiam Lectorum, mysteria haecce philosophica nosse cupientium, ipsis cyp-  
worthi(c) verbis docere iuuat. Omnes consentientes erant inter se deorum cultores, mundum hunc animal esse, atque hoc animal Deum etiam esse. Sed erant tamen, qui religioni sibi ducebant, primi maximi- que Dei nomen & honores in mundum conferre. Atque hi partim secun- dum, partim tertium deum hunc esse orbem arbitrabantur. Disertus est, quem subiicio, ORIGENIS bac de re locus: Σαφῶς δὲ τὸν ὄλον κόσμου λέγεται εἶαι Θεόν, Στοιχὸν μὲν τὸν πρώτον, ὃ δὲ απὸ Πλάτωνος τὸν δεύ-  
τερον, τίνες δὲ αὐτῶν τὸν τέταρτον. Graeci aperte totum mundum deum esse adfirmant, Stoici quidem primum deum, ac Platonici secundum, qui-  
dam etiam ex illis tertium. Quicumque ex Platonicis mundum anima-  
tum alterum esse Deum statuebant, hi tres illas, quas Platonem suis in-  
culcasse accipimus, diuinitatis personas, τὸ ἀγαθὸν ipsum Bonitatem, γῆν  
Mentem, & ψυχὴν Animam, coniunctim, ut unum principemque deum in-  
tuebantur: sed qui tertium in diuinitate locum mundo adsignabant, hi tria  
ista principia, seu diuinitas hypotheses latius diuellebant, totidemque veluti De-  
os faciebant. Primum enim Monada, seu simplicissimam Bonitatem, alterum  
Mentem, seu Intelligentiam, tertium, communem totius naturae Ani-  
mam,

mam, interpretabantur. Et haec ipsa *Anima*, quin ea esset, quae vi sua corporeum hunc orbem vnicce agitaret, cum quo quippe ex omni aeternitate simul exstissem credebatur, nulli plane dubitabant. Haec ille. Ab hac tamen sententia de aeternitate mundi corporei plane alienus est PHILo: immo ipsum mundum intelligibilem ab aeterno exstuisse negat, siquidem prima Mosis verba, *In principio creauit Deus caelum & terram*, de caelo & terra ideali exponit hisce verbis, ex interpretatione GELENII: (d) *Itaque ante omnia conditor fecit in mundo intelligibili caelum incorporeum & terram inuisibilem, & aeris ideam & vacui; hunc vocauit tenebras, utpote atrum naturaliter, vacuum vero abyssum, cet.* Huc etiam Graeca interpretationis Alexandrinae verba trahit: Η δὲ γῆ ἦν ἀστερός τε καὶ οὐκ εἶδος, terra erat inuisibilis & incondita, quibus verba Hebraica, קָרְבָּן חַדְשָׁה וְחַדְשָׁה, sunt expressa. Atque hinc admodum sit verisimile, ipsos illos Alexandrinos interpres, qui vulgo LXX dicuntur, Platonicas dogmatibus iam imbutos fuisse, & ad horum normam ac sensum varia scripturae loca, vti hic ipse specimen praebet, detorsisse. Interim PHILo etiam mundum praesentem corporeum, manifeste filium Dei dixit. En! locum mirabilem, quo, sublimiori suae, & saepe nubes & inania captanti philosophiae indulgens, docet, ipsum summum gentis Israeliticae sacerdotem, mundum hunc, quem incolimus, adumbratum amictu atque ornatu suo, tamquam filium pro hominibus deprecantem apud patrem in sanctum sanctorum intulisse. Ita enim, postquam ornatum illum prolike enarrauerat, breuem ἀναφαλαίσιν instituit, quae Latine ita(e) habet: *In hunc modum ornatus pontifex ad sacra mittitur, vt, quoties ritu patrio vota facturus est pro populo, totum mundum secum introducat, sub figuris, quas gestat, aerem in stola, aquam in malis punicis, terram in floribus, ignem in coco, caelum in epomide, duobusque smaragdis referentibus rotidem hemisphaeria, sculptura senorum signorum, item in rationali pectus ornante, quatuor ternarum gemmarum ordinibus quod rationis cuncta dispensantis repraesentat speciem.* Haec plenius intelligent, qui Graeca Philonis inspicient. Ita e. c. quae de rationali, siue τῷ Vrim & Thumim summi pontificis tradit, Graece habent: Τέσσερας δάδεινα λίθοις ἐπι τετράν παραστούχοις, τέσσερας διοικητοῖς λόγιοι τὸ σύμπαν, τὸ λόγιον ταῦ audiatut ipse iterum per interpretationem.

(d) *Libro de Mundi opificio* p. 6.

(e) *Lib. III. de vita Mosis*. p. 673.



tem. *Necessarium enim erat, ut sacerdos, supplicaturus patri omnipotenti, adhiberet perfectissimum eius filium, ad imperrandam erratorum veniam, & vberem in posterum gratiam.* Obseruatu interim dignum, doctrinam, inter praecipua antiquae & purioris theologiae Iudaicae capita referendam, de filio Dei deprecante pro hominibus apud patrem, Platonics illis somniis de mundo, Dei filio, a Philone fuisse corruptam, vti & alia multa, si limpidos fontes Mosaicos spectes, in se sana & sancta, huius philosophiae meretricio quasi fuso illeuit & inquinavit. Hinc etiam adaptaret, ad quæstionem, vtrum mundus recte dicatur Dei filius? negando esse respondendum; idque primum ideo, quoniam in fraudem veri & aeterni Dei filii haec appellatio maxime a Platonics recentioribus, quorum nimis incaute accepta, & cum dogmatibus christianis commixta placita grauissimas in ecclesia turbas dederunt, fuit exhibita; tum etiam, quia mundum ponit animatum, quae sententia inter gentes profanas multiplici idolatriæ ac superstitioni, dum fidera caelestia, totam tellurem, item aquae, ignis & aëris elementa, aliaque mundi corpora speciatim etiam animata statuerunt, & peculiaria inde numina effinxerunt, ansam dedit; vti a magnis philosophicæ gentium theologiae interpretibus, & in primis triumuiris illis insignibus, VOSSIO, CUDWORTHO, MOSHEMIO, luculenter est ostensum. Adiungi etiam potest tertia ratio reiciendi doctrinam de mundo Dei filio, quod falsum illud dogma, quo etiam Hebraeorum theologia cabballistica inquinata est, (f) de mundo ex essentia Dei emanante, quasi fundamenti loco ponit, adeoque in labyrinthum errorum abducit.

II. *Mundi mater quac?* quidni ita Lectores: mira & inaudita quæstio! quid hic nobis de mundi matre garriet? Et vero ingenue fateor, non nisi ex meteoris PHILONIS hanc mihi natam esse disquisitionem. Audiatur igitur & expendatur eius de mundi matre sententia, quam ipse Graece ita expressit: (g) Τὸν γοῦν τὸ δὲ τὸ πᾶν ἐγγασάμενον δημιουργὸν οὐδὲ καὶ πατέρα εἶναι τὸ γεγονότος, εὐθὺς ἐν δίῃ Φτυομεν<sup>τ</sup> μηλέα δέ τὴν τῷ πεποιητος ἐπισήμην, ἡ συνών ὁ Θεός, οὐχ ὡς ἀνθρωπος, ἐσπειρε γένεσιν· ή δέ παραδεξαμένη τὸ τῷ θεῷ σπέρμα, τελεσθόσις ὠδῖσι τὸν μόνον καὶ ἀγαπητὸν αἰθῆτον ιὸν ἀπεκύνησε τὸν δὲ τὸν κόσμον. Εἰσάγεται γοῦν

(f) Vid. I. F. BVDDEI *Introduct. in phi-* Hal. 1702. It. BVRNETI *Archæolog. philos.* los. *Hebraeorum* §. XLIV. p. 323. seqq. edit. lib. I. c. VII. (g) *Lib. de Temulentia* p. 244.

χοῦν παρὰ τὴν τῶν ἐν τῷ Θεῷ χοροῦ ἡ σοφία περὶ αὐτῆς λέγεται τὸν  
τεόπον τούτον· ὁ Θεὸς ἐκπίστατο με πεωτίσην τῶν ἑαυτοῦ ἔργων καὶ πέδη τῷ  
αἰώνιος ἐθεμελίωσέ με ἢν γὰρ αἰναγματον τῆς μητρὸς καὶ τιθνῆς τῶν  
ὅλων, παντὶ ὅσα εἰς γένεσιν ἥλθε, εἶναι νεώτερα· Proinde rerum opificem  
patrem quoque suae creaturæ iustè possumus dicere, matrem autem  
scientiam ipsius, cum qua congressus Deus, non humano more proseminalis  
uit creaturam: illa vero Dei semine concepto enixa est iusto partu unicum  
illum dilectum sensibilem filium, mundum hunc. Quapropter a quodam  
diuino viro inducitur sapientia, de se ipsa loquens in hunc modum. Deus  
creauit me primum operum suorum, & ante aeternum fundauit me. Neces-  
se enim erat, ut mater nutritrixque omnium rerum creaturas omnes actate  
antecederet. Ex hisce liquido patet, mundi matrem a Philone dici sapi-  
entiam diuinam, quae mundum illum idealem & archetypum, (b) secun-  
dum quem formatus est ectypus & corporeus, primum concepit, &, acce-  
dente postmodum voluntate diuina efficacissima, & verbo omnipotente,  
quasi enixa est, inque lucem edidit. Heic vero si quaeras, vtrum ipsa  
illa diuina sapientia, si abstineatur ab incongrua illa phrasι, qua PHILo,  
visitatis in schola Platonica τερατολογίας nimis amans, minus θεωρεπῶς  
yfus est, mundi mater dici queat? adfirmando responderi posse videtur:  
nempe si nihil aliud significet figurata haec locutio, sapientia Dei est ma-  
ter mundi, quā hoc ipsum, Deus in condendo hoc vniuerso nihil teme-  
re egit, sed fines optimos elegit, & ad hosce obtainendos omnia quam sa-  
pientissime dispositus. Siquidem haec ipsa finis optimi & mediorum o-  
ptimorum electio proprium sapientiae munus est. Neque vero negari pot-  
est, ab omni aeternitate in mente diuina exstitisse mundum idealem, sive  
ideas rerum creandarum, intellectui diuino fuisse obuersatas, & verba illa,  
diuini, rerum creationem enarrantis, historici, Vedit Deus, quod esset  
bonum, ita recte exponi: Vedit Deus res creates omnino respondere ipsi-  
us intentioni sapientissimae, atque ideis secundum quas debebant effungi.  
Immo ipse Spiritus sanctus per regum sapientissimum, cuius etiam verba  
PHILo adlegat, sapientiam illam aeternam, tamquam mundi parentem,  
conseruaticem, & gubernatricem ob oculos posuisse videtur. Ita enim  
inter

(b) Doctrinam de mundo archetypo, a CUDWORTHO p. 641. seqq. eique adiun-  
altera spuria Platonicon Trinitatis per-  
xit venerab. MOSHEMIVS egregiam de phi-  
losophia Philonis dissertationem.

inter alia loquens illa inducitur, interprete CASTELLIONE: (i) *Meliora principio sui instituti habuit, iam olim ante sua opera. Ab omni aeternitate constituta fui principio ante ortum terrae. Qum profunda non essent, ego genita eram, quum aqua grauidi fontes non essent. Priusquam defixi montes essent, ante colles ego genita fui. Qum nondum terram, & foras, & humi mundanae caput fecisset; quum caelum conderet, ego aderam, quum globum supra profundum circinaret, quum aethera superne firmaret, quum profundi fontes stabiliret, quum mari legem diceret, ita ut aquae eius praescriptum non transirent. quum iaceret fundamenta terrae, ei ego fidelis aderam. quotidiana voluptate fruens, ludens coram eo iugiter, ludens in orbe eius terrae: & mibi voluptati est, esse cum hominum genere.* Evidem non sum nescius, ab interpretibus christianis ferme omnibus hacc de Sapientia, quae dicitur, hypostatica, ipso filio Dei, intelligi, atque hanc sententiam inter alios ab ABR. CALOVIO, in Bibliis illustratis, multis argumentis propugnari. Filium autem Dei mundi matrem dicere, incongruum. Sed eruditis expendendum relinquo, an non aequem commode de sapientia, tamquam perfectione diuina, omnibus tribus sanctae Triados personis communis, per prosopopoeiam, a Salomone introducta, haecce omnia intelligi queant; & an non, quod in opere ad extra, ut cum theolis loquar, quale est opus creationis, omnibus tribus personis est commune, hac ipsa explicatione nimis restringatur, quando soli filio Dei, tamquam Sapientiae hypostaticae, tribuitur; immo an non priscis ecclesiae doctoribus, philosophiae Platonicae nimium tribuentibus, illa, per manus ab ipsis tradita, capitulii huius Salomonae explicatio, saluis illis omnibus, quae de aeterno Dei filio in sacris litteris edocemur, sit relinquenda. Neque vero in gentium profanarum theologia mythica non fuit Dea quaedam, diuinam illam sapientiam, matrem & gubernatricem mundi, teferens; atque haec fuit ipsa Aegyptiorum NEITH, (k) Graecorum Αἴθην, Larinorum Minerua. Hanc, (verbis sunt ESCHENBACHII,) (l) e Iouis cerebro prognatam, nihilo minus in illo permanentem νόσον δημιουργικήν, χωριζήν, καὶ ἀύλον perhibuerunt. Hanc Φίλοσόφος simul & Φιλοτολέμεως θεάς elogio decorarunt: & illo quidem, quatenus ἐνείλας πάσαν συνέχει τὴν παῖδεικήν σοφίαν. hoc  
b  
vero,

(i) Proverb. cap. VIII. v. 22-31.

(l) In Epigene, siue de Poesie Orphicalib.

(k) Vid. CUDWORTHI System. intellect. pag. 49.

vero, quatenus πᾶσαν ἐνεργίων μονοεδῶς ἐπιλεπτεῖεν. Vnde, respectu illius, teste ORPHEO, inter Deos Μῆτις vocatur: respectu huius ab eodem fingitur: ὅτι ἀρχαὶ αὐτὴν ὥστε αἰτογέννητεν εἴη τῆς κεφαλῆς,

Οπλοῖς λαμπομένην, χαλκῆιον ἄνθος ιδέθαι.

III. *Mundi anima* quae? anceps & in varias responses ac sententias ab antiquis & recentioribus philosophis distracta quaestio: quibus omnibus enumerandis immorari iam non licet. Antiqui mundum animatum statuerunt ferme omnes, satisque inter eruditos iam constat, fontem fere omnis idolatriae fuisse, peruersam de mundi anima sententiam: atque inter philosophos, Pythagoram, & Stoicos, ipsum summum Deum; Hermeticos alterum deum, quem & filium dixerunt; Platonicos recentiores tertiam triados suae hypostasis, Ψυχὴν, animam mundi esse. Poetarum porro Ζεὺς a philosophis anima mundi dicitur, vt praecelare docet iam laudatus ESCHENBACHIVS, (m) vbi ita scribit. *Animam illam mundi, quae ab illo summo Ente, quod τὸ Αγαθὸν dixerit, τῷ Λόγῳ subdita & subiecta est, Ζῆνα seu IOVEM appellatam fuisse, iam alibi docuimus.* Illa autem facultas huius animae mundanae, qua ὑλη, seu materiam vegetat, ΔΙΟΝΤΣΟΣ est: quem inde νῦν ὑλιὸν dixerunt sapientes. TITANES, Daemones sunt, Naturae, ex veterum opinione, administrari. PALLAS, Iouis, seu animae mundanae, est Prudentia. APOLLO. Mens caeli, (sedis & domicilii immobilis Deorum & animarum,) πάσης ἀρμονίας καὶ ἐνότερως auditor, ἐν γῇ δημιουργικῇ τάξει Θεῶν; inter nos monachatoς autem Sol est. Iam antiquae illius Θεογονίας & Ψυχογονίας arcana, paulo clarius explicantem audiamus, magnum illum philosophiae Epicureae instauratorem, GASSENDVM, (n) ita scribentem. Veteres habuere mundi animam quasi oceanum inexhaustum, cuius daemones animaeque essent velut riuuli, temporis progressu in cum reducendi. Et Plotinus visus est eam comparare radici seu trunco; quasi daemones animaeque essent veluti rami, ramusculi, folia, flores, fructus. Censuere vero, sicut aqua, dum interna terrae peruidit, imbuitur substantia eorum mineralium, per quae transire ipsam contingit; sic particulas animae mundanae induere plerumque substantiam tenuissimorum corporum, ipsique speciatim quasi illigari. Cum opinati vero fuerint, esse qui-

(m) In Epigene p. 32. Vid. etiam p. 41. versionum in lib. X. Diog. Laert. Part. II. § 63.

p. 249.

(n) Philosophiae Epicuri, sive Animad-

quidem animam toto orbe diffusam, sed insidere eamen praesertim in re-  
gione aetherea, atque adeo in ipsis astris, & maxime omnium in sole: idcir-  
co putarunt, dum haec inferiora a superioribus fouentur, aduenire eac-  
tius varios quasi radios viuiscantis animae, ac tales radios interea in  
medio interstitio varie veluti corporari, & aëream quandam quasi ve-  
stem indure, partimque deinceps varie commorari degereque per aërem,  
partim in terram usque peruenire. Proinde existimarunt, substantias  
huiuscmodi compositas ex corpore tenui, quale est aëreum, & ex parti-  
cula animae mundanae, esse daemonas, animasque: & daemonas quidem,  
dum a commissione corporum crassiorum manent liberae; animas vero,  
dum demerguntur in crassiora haec corpora, & magis adhuc corpora-  
scunt. Mitto cetera. Perro audiatur ille, operis sui nomine, vere ad-  
pellandus πολυίσωπ. MORHOFIVS, (o) Platonis sententiam benignius  
ita explicans, & tuam non obscure proponens. Quod si Plato per istam  
mundi animam intelligere velit spiritum quemdam aethereum, rationibus  
seminariis foetus, per partes vniuersi dispersum, non esset adeo ob istam  
sententiam reprehendendus; quique illum reiciunt, nihil possunt nobis re-  
ponere, quod notius sit, animoque distinctius concipi possit. At vero si  
nostro aeuo viueret MORHOFIVS, haud scriberet, opinor, nihil posse  
reponi, quod animo distinctius concipi queat, quam spiritus ille aethe-  
reus, rationibus seminariis foetus. Clariorem enim animae mundi &  
veriorem notionem dari, ex sequentibus patebit. Sed audiamus MOR-  
HOFIVM porro differentem. Cartesiani quoque, cum singunt subtilem  
istam materiam per omnes mundi partes diffusam, quaque ex sole pot-  
issimum prodeat, videntur non multum ab hac sententia diffidere. Nam &  
Platonice sol quasi regia istius animae habetur, ut multis probat 10.  
FRANC. GRANDIS in dissertatione sua de Epicuri philosophia. De-  
nique verissime monet sub finem huius suae disquisitionis MORHOFIVS,  
super ista mundi anima, si ea intellectu praedita statuatur, fundatam  
fuisse, & adhuc fundari Enthusiastarum Physicam, atque ex hoc fonte  
fluere oracula, imagines Talismanicas, & omnem denique magiam, at-  
que superstitionem medicinam, tam quae olim ex incubationibus ori-  
ginem traxerit, quam quae hodie per transplantationes, irrorationes, in-  
seminationes, ac similes operationes incertas ac fallaces conficiatur. Iam  
Lectoribus, a recentiori philosophia non abhorrentibus, rem gratam me

(o) Polybius, tom. II. lib. II. part. I. cap. XI. 7.

facturum confido, si celeberrimorum nostri aeui philosophorum atque mathematicorum de anima mundi sententias heic ipsis ob oculos posuero. Ita vero ILL. WOLFIUS, *Naturam* vocans, quam alii animam mundi dicunt, in *Cosmologia generali* scribit. (p) *Natura uniuersa est adgregatum omnium virium motricium, quae corporibus, in mundo existentibus, simul sumtis, insunt.* Etiam instar substantiae eam adparere docet, cum talis non sit. Ergo, qui animam mundi contemplari, & proprius nosse cupit, eam sibi in NEWTONI *Philosophiae naturalis principiis mathematicis*, in scriptis LEIBNITII, ipius WOLFIUS, & aliorum quorumdam heroum philosophicorum, qui leges motus in hoc vniuerso, quatenus humani ingenii acie inuestigari possunt, explicuerunt, ob oculos ponи, credat. Paulo clarius haec exponit celeberr. IO. BERN. WIDEBURGIUS (q) in *Mathesi biblica*, vbi ad quaestionem, in quoniam consistat illa a virtute diuina profecta commotio materiae recens creatae? ita responderet. Qui per Spiritum Dei personam Spiritus Sancti intelligunt, eumdem fouisse & conseruasse statuunt molem ex nihilo productam, ne in nihilum relaberetur, eidemque simul vim generatiuam indidisse, ut animalia & plantas producere posset. Verum, cum ex superioribus constet, virtutem hic intelligendam esse Dei motricem, quae, sicut materiam ex nihilo produxit, sic etiam ad eamdem quasi animandam immediate concurrit, non sine ratione sufficiente statuimus, in hac ipsa commotione leges generales motus esse conditas, & materiae creatae inditas. Est enim uni-

(p) *Secl. III. Cap. I. §. 507.* Ibidem addit illustrationem sequentem. *Mundus ex corporibus tamquam partibus componitur, (§. 119.) neque adeo in eodem mutationes ali- ae contingunt, quam quae in corporibus acci- dunt.* Quare, cum mutationum istarum principium si vis motrix, quae corporibus in- est; (§. 137.) praeter istas vires, corporibus inexistentes, & ad naturam carum pertinen- tes, (§. 145.) principium mutationum aliud primipum non requiriatur. (§. 118. ontol.) Est igitur natura vniuersa non diversa quae- dam vis ab iis viribus, quae corporibus similiis insunt; sed eorum potius adgregatum. Subiungit etiam sequens scholion. *Adpa- ret adeo, Naturam, simpliciter ita dictam, non esse terminum inanem, utpote cui notio- nem quamdam respondere manifestum est,* (§. 38. Log.) & quoniam non est ens a mundo diuersum; (§. 504.) nec pro idolo haberi potest. *Concipimus nempe naturam vniuersam, dum vim adiuam omnem, quae a corporibus per consilium exercetur, abstrahimus, & tamquam causam eorum, quas in corporibus omnibus simul sunt, per fictionem quam- actualitatis ratio in eadem continetur, (§. 56. ontol.) consequenter aliud praeter ea Cosmologie generalis in Att. erud. Lat. 1731. p. 470.*

(q) *Specim. I. Quaest. VI. p. 20.*

vniuersum creationis opus intra sextiduum absolutum, nec vlo alio in loco  
huius ordinationis, quam vbiais obseruamus, mentio sit: ideoque vel Mo-  
ses illam omnino reticuit, vel eadem hoc loco describitur; prius probabile  
non est, quia ab his legibus vniuersa natura, & omnes operationes natu-  
rales dependent; ergo posterius, scilicet leges motuum ordinatas esse, his  
verbis Mosaicis innui, necessarium est. Quae cum ita sint, geminum nota-  
mus conatum, hoc opere in materia creata productum; alterum, quo ho-  
mogenea, quae eiusdem naturae sunt, ad sui vniونem tendunt; alterum, quo  
instigante heterogenea, b. e. diuersae naturae corpora, se mutuo refugunt.  
Priorem vulgo vocamus vim centripetam, quia intima vno centralis est;  
posteriorem, vim centrifugam: utriusque, simul sumti, vires centrales dicun-  
tur. Vterque etiam necessarius erat, vt ex materia caeli & terrae, re-  
center producta, corpora mundana formarentur, et totum hoc vniuersum  
ex confuso statu primaeuo in ordinem redigeretur. cetera. Haud vitupe-  
rabunt aequi lectores, quod locum tam insignem ferme totum adscri-  
pserim: neque mirabuntur, qui certa vocabula certis ex hypothesisib  
aut amari ab eruditis primi ordinis, aut reiici, norunt, ipsa voce mechan-  
ismi, vt equidem interpretari non dubito, mathematicam illam, & mi-  
nime omnium enthuasticam aut imaginariam mundi animam, meta-  
phorice nempe accepta voce animae, ab ILL. FRID. HOFMANNO in-  
digitari, quando ita scribit. (r) *Sapiens pulcherque rerum naturalium,*  
*mouentium & mobilium, inter se nexus, dispositio, & ordo, ad certum*  
*scopum & finem ab artifice directus, a nostri aei philosophis, mechan-  
ismus vocatur.* Cum vero ars & sapientia diuina infinitis parafangis  
artem humanae superet; etiam huius vniuersit a Deo productus mechani-  
smus longe perfectissimus deprehenditur, adeo, vt Deus rectissime sum-  
mus & perfectissimus mechanicus appellandus sit, qui omnia, consentiente  
etiam diuina scriptura, in rerum natura, certo numero, pondere, & men-  
sura fecit, & secundum certas & constantes motuum leges, quas non-  
dum satis intelligimus, dispositus. Atque haec ad noscendam paucis ve-  
terum obscuram, peruersam, & mera quasi somnia blaterantem, ac re-  
centiorum claram, sanam, solidam, de anima mundi, doctrinam suf-  
ficiant.

IV. Mundum esse speculum admirandarum perfectionum diuina-  
rum, nemo sanus inficias ibit, & a multis iam luculenter est demonstra-



tum: iuprimis autem lectu & consideratu dignae sunt, quas magnus aetatis nostrae philosophus hac de re exhibet meditationes haud vulgares. (s) **Mundus, ad gloriam summi numinis conditus, vi finis ultimi est speculum perfectionum diuinarum, vi contingentiae spe. ulum existentiae & libertatis. vi multitudinis rerum, quibus spatium & tempus replentur, pluralitatis mundorum possibilium, harmoniae rerum uniuersalis, modi, quo contingentium actus determinantur, spe. ulum infinitae scientiae. vi nexus rerum, totum uniuersi spatium ac tempus omne peruidentis, regularum motus, ab absoluta necessitate exemptarum, harmoniae intermedium & corpus praestabilitae, harmoniae uniuersalis, speculum sapientiae. vi actus contingentis rerum in uniuerso, & magnitudinis, multitudinis, ac varietatis operum naturae, speculum potentiae. vi nexus rerum, speculum rationis diuinae. vi perfectionis, in essentia rerum, & natura obviae, & usus mutui ex illarum nexus resultantis, speculum bonitatis & prouidentiae. vi denique nexus inter malum morale & malum physicum, speculum iustitiae.**

V. Haec ipsa, & quae iam superiore commentatione attigi, de studio physico, a vulgo etiam studiosorum, & viris ultra vulgus sapientibus, magis magisque amplectendo, & in deliciis habendo, dum mecum recognito, non possum non eruditis proponere consilium, de adornando **THE SAVRO COSMOTHEOLOGICO**, sive sylloge omnium bene elaboratarum commentationum & scriptiorum minorum, quae sapientiam ac benignitatem Dei in totius mundi systemate, quatenus nobis est cognitum, in admirandis terrae nostrae dotibus, in mirabili corporis animantium, & speciatim corporis humani fabrica, & quae sunt reliqua huius generis, obculos ponunt: quarum catalogum, una cum maiorum operum, huc facientium, indice, *Astrotheologiae DER HAMI* praemisit, ex pietate etiam insigni, cum tam diffusa eruditione coniuncta, **magnus FABRICIVS.** (t)

Hu-

(s) WOLFIUS in den vernünftigen Gedanken von den Absichten der natürlichen Dinge p. 2. Vid. Acta erud. Lat. a, 1724. p. III. vbi liber hic recensetur.

(t) Speciminis loco scripta quaedam, quae THESAVRO COSMOTHEOLOGICO inferi possent, ex indice illo Fabriciano commemorare luet. IO. FRID. WVCHERER de-

monstratio existentiae Dei e finibus in origine hominis occurrentibus. Lenae 1713. 10. CHRIST. STVRMII Oculus θεόντων, Alt. 1678. LUDOV. PHIL. THVMMIGII de sapientia Dei ex figura oculi demonstrata. Cafl. 1725. IO. ANDR. SCHMIDIU. Auris θεόδεσιος. Lenae 1694. GEORG. ALB. HAMBERGERI Deus ex inspectione cordis in-

Huiusmodi autem thesaurus non Latina solum, sed etiam, in gratiam eorum, qui hanc linguam non callent, Germanica lingua esset edendus, ita, ut, quae Germanice, Gallice, Anglice, praclare scripta sunt, in Latinam, quae Latina, vel & alia lingua, in Germanicam transferantur.

VI. Possem nunc etiam e crassiori Stoicorum philosophia eam mundi appellationem addere, & quodammodo illustrare, qua Spinozistae illi ante Spinozam mundum Dei corpus, & ipsum summum Deum mundi animam dixerunt, neque Deum a mundo separatum ac seiuinctum agnouere. Sed, missis hisce fardibus philosophicis, meliorem illam & amoeniorem mundi denominationem, qua *Dei templum* recte dicitur, paucis attingo. Ea vero in veterum Persarum religione, ad primam illam, quae inter sanctos Patriarchas viguit, quam proxime accedente, cum primis fuit visitata. In hac enim totum mundum templi Deo sacrati instar habuisse, & quemlibet patrem familias sacerdotali munere functum esse, extra dubium est. Immo etiam protoplastos in statu integritatis totum mundum tamquam templum, ab ipso Deo in suam gloriam & venerationem exstructum, respexisse, immo hodieque eum ita respiciendum esse, adserere nullus dubito. Facile autem in eamdem sententiam ibunt, qui perpendiculariter, omnes illos, qui per complures menses in castris versantur, nec non omnes, qui per aliquot annos in nauibus fluctuant, non posse in alio, quam magno hocce templo Deum adorare. Ne tamen, quae de veteribus Persis memoravi, nullo confirmem testimonio, en! trigam testimoniū fide dignissimorum. HERODOTVS, (u) quem per interpretem audire iam

suf-

investigatus, Ienae 1692, & in fasciculo dissertationum academicarum 1709. IO. FRID. WVCHERER de atheo ex structura cerebri conincendo. GOTTL. FRID. LENICHEN dissertatione de Deo in sensuum externorum oeconomicis palpabili, ad Act. XVII. 27. Lips. 1703. CHRIST. DONATI demonstratio Dei ex manu humana, Witteb. 1686. IAC. GVIL. FEVERLINI diatriba de loqua hominis, existentiae & prudientiae diuinae argumento. Auktiorii 1719. GERH. MEIERI Aranea existentiae Deitatis, Hamb. 1686. ANDR. MVRRAY demonstratio Dei ex voce animalium, Hamb. 1724. LEONH. BOHNER dissertatione de varietate in formis animalium exter-

nis, tamquam indice existentiae diuinae. Alt. 1725. GERH. MEIER dissertatione de pluia, existentiae Dei teste, ad Act. XIV.

17. Hamb. 1686. CHRIST. PHIL. LEVETWEIN theologia niuis, oder geistliche Lehr-Schule vom Schnee, Nurnb. 1693.

IO. HENR. von SEELEN diatriba de tonitru, existentiae Dei teste, Lubecae 1724.

DAN. STRAEHLERI de existentia Dei, atque creatione ex nihilo, & contingentia in mundo, & totius mundi atque elementorum indeole, demonstrata, dissertationes. Halae 1724. Plura iam addere superuacaneum duco.

(u) In Clie cap. CXXXI, 5 seq.

sufficiat, sequentia nobis narrat. Ritus, quibus vntuntur Persae, tales esse  
comperi. Neque statuas, neque templa, neque aras exstruere, consuetudo  
est; quin immo hoc facientibus insaniae tribuere, ob id, vt mea fert op-  
nio, quod non, quemadmodum Graci, sentiunt, Deos ex hominibus esse  
ortos. Moris habent, editissimis quibusque conscenis montibus, Ioui ho-  
bias immolare, omnem gyrum caeli louem appellantes. Soli lunaeque sacri-  
ficant, & telluri, igni, aquae, atque ventis: bisque solis sacra faciunt,  
iam inde ab initio. Lectu etiam digna sunt, quae sequuntur, e quibus hoc  
saltem adiungo, quod de Magis memorat, vnde patet, proprie Persarum  
sacerdotes eos fuisse. Ita enim scribit: *Vbi iam in minutis portiuncu-  
lis membratimque hostias conscidit, carnibus elixis herbam substernit quam  
mollissimam, maxime trifolium.* Huic impostis carnibus Magus adstans  
*Theogoniam accinit;* squidem hanc illi dicunt esse incantationem efficacis-  
simam. Citraque Magum nullum illis sit legitimum sacrificium. CICERO,  
quem alterum adpello testem, disertis verbis confirmat, totum mundum  
a priscis Persis pro templo Dei esse habitum, quando ait: (x) *Patrum de-  
lubra esse in urbibus censeo, nec sequor Magos Persarum, quibus auctori-  
bus Xerxes inflamasse templa Gracciae dicitur, quod parietibus includerent  
Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mun-  
dus omnis templum esset, & domus.* Tertius accedat testis, THOMAS HY-  
DE, qui in *Historia religionis Persarum*, eorumque Magorum, (y) haec ha-  
bet, vbi de recentiorum Persarum Pyreis, seu templis ignis agit: *Dicitus  
ignis sacer seruatur in Pyre, seu templo ad hoc exstructo, quod est Mago-  
rum ecclesia.* Nam antecedentibus temporibus, antequam religiosus ser-  
uaretur ignis, nulla erant templa veterum Persarum: quippe qui omnia  
sua sacra sub dio peragebant, ideoque in sua religione & lingua non ha-  
bebant templi nomen. Facere non possum, quin & insignem MACROBII  
locum adscribam, quo in haec CICERONIS verba, quando in *Somnio  
Scipionis* scribit: *Homines sunt hac lege generati, qui tuerentur illum glo-  
bum, quem in templo hoc medium vides, ita praedclare commentatur.* (z)  
Bene vniuersus mundus Dei templum vocatur, propter illos, qui existimant,  
nihil esse aliud Deum, nisi caelum ipsum, & caelestia ista, quae cernimus.  
Ideo,

(x) *Lib. II. de Leg. cap. X.*

(y) *Cap. XIX. p. 354.* Idem p. 357. de  
voce Magus haec habet. *Apud huius popu-  
li aborigines Mogh fuit sacerdotum no-*

*men, quod postea ab aliis aliquando etiam ad  
laicos translatum.*

(z) *Lib. I. in Somn. Scip. cap. XIV. pr.*

Ideo, ut summi omnipotentiam Dei, offendere, posse vix intelligi, posse nunquam videri, quidquid humano subiicitur adspectui, templum eius vocavit, qui sola mente concipitur, ut, qui haec veneratur, ut templo, cultum ramen maximum debeat conditori, sciatque, quisquis in usum templi huius inducitur, ritu sibi viuendum sacerdotis.

VII. Mundum tamquam templum Dei postquam considerauimus, eundem etiam ceu Dei bibliothecam facile agnoscamus, modo recordari libeat, nihil aliud hac ipsa adpellatione significari, quam quod de libro naturae, ad auctoris piam venerationem ac laudem inspiciendo, & quantum fieri potest, cum ratione contemplando, nota & per uulgata sententia, recte dicitur & docetur. Bibliothecam autem dicere visum est hoc vniuersum, quod, vti nostrae bibliothecae magno aliquo librorum numero constant, ita etiam, si quodlibet magnum corpus mundanum, tamquam volumen respicias, per singula, quae continent, rerum genera & species, in partes, sectiones, capita, paragraplos distinctum, vastissimam exhibeat bibliothecam. Inter nostras autem bibliothecas, & illam diuinam, hoc intereft, quod in nostris non nisi rerum signa, quae effingere & componere possumus; in diuina vero res ipsae adparent, & singulæ res creatæ characteres repreſentant, ab ipso Deo pulcherrime efformatos, variis coloribus pictos, & mirifice inter se permixtos, connexos, temperatos, ita vt eorum incredibilis multitudo infatibili varietate distinguatur. Tum & hoc accedit mirabile, quod characteribus illis diuinis indita & impressa est vis se ipsis multiplicandi, (nempe per semina in regno vegetabili, & animali, suo modo etiam in minerali) & in locum euangelientium characterum, semper recentes, & si fruges, herbas, animalia respicias, nouas quotannis editiones, accedente tamen diuina virtutis conseruatione, substituendi. Possem etiam haec variis auctorum locis illustrare & confirmare; sed non nisi vnum alterumque adiungam. ALFONSVS ANTON. DE SARASA in arte semper gaudandi, ex principiis diuinæ prouidentiae & rectæ conscientiae deducta, mirifico cum hodierna philosophia consensu, ita scribit. (aa) *Quis sati stupeat immensum illud primumque volumen; quid volumen dico? Bibliothecam inquam, & quidem infinitam, simplicis intelligentiae scientiam, qua omnes res possibiles*

c

biles

(aa) Part. I. tract. V. §. VI. p. 57. edit. est in ERH. WEIGELII philos. mathemat. a cl. IO. CHRIST. FISCHERO curiae Le. p. 92.  
BAG 1740. Idem hic locus etiam legi pot.

biles circumpletebitur? In hoc certe, volumine infiniti mundorum  
descripti sunt, & vivacissime expressi, inter quos mundus hic noster tantum  
vnuus est. Et in infinitis illis mundorum millionibus, infinita cognoscit crea-  
turarum, non dico tantum individua, sed genera & species infinitas, inter  
quas tota hominum species tantum est vniqa. Rursus in singulis creatu-  
rarum speciebus infinita intelligit individua possibilia, quae tamen in rerum  
natura numquam futura sunt; infinitos angelos, praeter eos, qui nunc sunt,  
infinitos homines, caelos solesque infinitos, infinitas denique in quavis  
specie, praeter eas, quae futurae sunt, possibiles creatureas. Earum vero  
omnium naturam, temperamentum, statum, conditionemque nouit tam  
exacte, ut non aliter futurae essent, si fierent, quam in illo volumine sunt  
designatae. Secundo, ex hoc immenso volumine, illud sedulo postquam e-  
voluerat & perueluerat, contradictionem quedam librum composuit sagax  
Deus, quam Scientiam visionis nomines. Perspectis enim omnibus, sic se-  
cum constituit dixitque: Hunc ego, ex omnibus quos possibiles cognosco,  
mundum, rerum seriem volo in lucem emittere, & quasi, vt sic dicam,  
typis edere: hos caelos hunc solem, hos homines, non illos, hos angelos, non  
alios, quos tamen scio esse possibiles. Adeo ut in hunc librum, seu potius  
bibliothecam, quotquot vniquam aeternitate tota futurae sunt, res congesse-  
rit; ordine tamen exalto, sic vt quasque species, & specierum individua, per  
classe suas, loca & tempora, annos dieisque, quasi per libros, capita, pa-  
ragraphosque accurate digesserit & dispunserit. IO. GREGORIVS, Bri-  
tannus, praefationem, notis suis & obseruationibus in varia scripturae  
loca praemissam, (bb) ita orditur. Inter Mahumetanos obtinet, pri-  
mum

(bb) Insertae sunt notae illae & obserua-  
tiones IO. GREGORII, Tomo VII. Biblio-  
Critic. Anglic. p. 539. edit. Francof. 1695.  
Haud abs re videtur ex insigni & lectu di-  
gnissima comparatione creationis rerum o-  
mnium cum Typographia, quam CL. IO.  
FRID. STIEBRITZ, philosophiae in acade-  
mia Halensi professor, sub tit. Erläuterun-  
gen einiger Warheiten aus der Buchdrucker-  
Kunst, inseruit Den Hallischen öffentlichen  
Jubel-Zeugnissen bey dem erneuerten Anden-  
ken der vor 300 Jahren erfundenen Buch-  
drucker-Kunst p. 279, sequentia heic excer-  
pere: Wir behaupten, daß Gott eine Allwiss-

senheit zuſtelle, nach welcher er sich alles, was  
möglich ist, auf einmalb unablesig und  
auf das deutlichste vorstelle. Mich deucht,  
die Buchdruckerey habe etwas in sich, wel-  
ches uns hierüber einige Erläuterung geben  
kann. Ein mit vielen möglichen Begiffen  
und Sätzen angefülltes Buch, enthält in  
allen gegebenen Gliedern der Zeit einmal  
wie das andere, einmal so deutlich wie das  
andere, ohn alle Aenderung alle die möglichen  
Vorstellungen; obwohl ein Lefer sich  
nach und nach die darinne stehenden Begriffe  
muss bekant machen, gleichwie wir vns, was  
Gottes Verstand in sich hält, auch nur nach  
vnd

mum omnium a Deo creatum fuisse calamum scriptorum. **Totæ**  
certè creatio nibil aliud, quam transcriptum quoddam est ex illo exem-  
plari, quod ab omni aeternitate habuit in mente diuina. Mundi mi-  
nores, sive homines, maiorum transcripta sunt, ut & illorum, liberi, li-  
brique. De ceteris autem libris iam pridem sententiam dixit sapiens,  
nullum nempe esse illorum componendorum finem, lectionemque, (ple-  
rorumque præsertim,) taedium esse carni. Verum si omnium finem au-  
dere lubeat, est unus liber, praeter magnum illud mundi volumen, ex ipso  
Deo descriptus, eiusmodi in quo indecessa meditatione noctu diuque desu-  
dare possimus. Hunc quidem solum textum habemus, reliqui omnes libri,  
artes, homines, quin & ipse mundus, commentaria quaedam in illum sunt.

VIII. Iam indicanda veniunt orationum, tribus acroasisbus, in fron-  
te huius commentationis significatis, a iuuenibus, nec ignauis, nec in-  
eptis, nec officium drectantibus, quorum quisque suis ingenii, erudi-  
tionis, morum dotibus est commendabilis, habendarum, argumenta. Et pri-  
ma quidem acroasi die XIV. Augusti, vt argumentum de incrementis & fatis  
serenissimarum per Germaniam domum, nuper oratione de incrementis  
celerrimae domus Austriae coeptum, continuetur, Latine verba facient.

IO. LVDOLPH. SANDER, Gothanus,

de serenissimae domus electoralis Brandenburgensis, iam & regiae  
Prussiae, incrementis.

c 2

10.

und nach, und zum Theil vorstellen koennen. zwey solche corpuscula zusammen, so er-  
Daber ist es auch kein Wunder, wenn man schinen die corpuscula deriuatiua. Wur-  
die Allwissenheit Gottes ein Buch nennet, oder mit einem Buche vergleicht. Et inter-  
iectis nonnullis contra Epicuri de mundo, ex fortuito atomorum concurso enato, ri-  
diculam sententiam. Doch weiter! Gott hat zu erst den Stoff der ganzen Welt durch  
sein allmaechtiges Wort herougebracht, wel-  
cher durch den dariuber schwebenden Geist  
ist im Bewegung gesetzt und fruchtbar ge-  
macht worden. Den Stoff der materiellen  
oder körperlichen Dinge nennet man in  
der Lehre von der Welt corpuscula pri-  
mitiuia zu nennen pflegt. Fügte man  
derlei derselben mit einander vereini-  
get; so traten endlich Körper hervor, die  
nach mehreren Anwachs stets grässer und  
grässer wurden. Dieses alles erläutert die  
Buchdruckery unvergleichlich. Der Stoff  
der syllaben, Wörter, Sätze, ganzer Reden  
und auch großer Bücher sind die Lettern.  
Daß dieselben aber belebt sind, und bewegen  
werden können, machen die unter ihnen  
sitzende Vocales. Wenn zwey mit einander  
verbunden werden, so haben wir eine Sylbe,  
als ein Bild vom corpore primitiuo. Meh-  
rere Sylben machen ganze Wörter, Sätze,  
Reden und Bücher, welche die corpuscula  
deriuatiua, corpora minora, und maiora  
vorstellen koennen.

QK Am 717

X 2693038

**IO. GUILIELMVS ECCARD,** Gothanus;  
*de serenissimae domus electoralis Saxonicae, iam & regiae Polonicae,  
incrementis.*

**CHRISTIAN. ERNEST. MOELLER,** Gothanus,  
*de varietate fortunae in serenissima domo electoralii Palatina.*

Hi simul ob celebratum modo auspiciatissimum SERENISSIMAE  
MATRIS PATRIAE, LUDOVICAE DOROTHEAE, natalem  
demississimo gratulationis, &, ob imminentem ad academiam discessum,  
gratias, quibus debentur, agendi, valeque dicendi officio defungentur.

Altera acroasis die XXVIII. Augusti

**IVSTVS CHRISTIAN. STVSS,** Ilfeldensis,  
*de praefantia Ordinis equitum S. Georgii, sive peristelidis Latine ver-  
ba faciet, simulque CELSISIMO PATRI PATRIAE FRIDE-  
RICO III. auspiciis AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE  
REGIS, GEORGII II. nuper eodem magnifice cohonestato,  
carmine Teutono gratulabitur. Tum*

**IOANNES ELLMER,** Memmingensis,  
*de incrementis serenissimae domus electoralis Bauaricae sermone Latino  
orabit.*

Tertia acroasis die II. Octobris in medium pro dibunt, dicentque Latine,  
**IO. ADOLPHVS SCHEIDING,** Gothanus,  
*de serenissimae domus electoralis Brunsuico-Luneburgicac, iam & regiae  
Britannicae, incrementis.*

**IO. CHRIST. WALTHER,** Gothanus,  
*de serenissimae domus Brunsuico - Guelpherbytanae incrementis.*

**IO. BVRCHARD. ENDERT,** Koernero-Gothanus,  
*de serenissimae domus Saxonicae, stirpis Ernestinae, incrementis.*

Tres haecce panegyres litterarias, statas ac sollemnes, vt frequentes  
concelebrare atque exornare dignentur, ILLVSTRES MVSARVM STA-  
TORES, PATRONI, FAVTORES, EPHORI GYMNASII VENE-  
RANDI, ET OMNIVM ORDINVM, QVOS GOTHA FOVET, VIRI  
LITTERATI, AMPLISSIMI, HUMANISSIMI QVE, qua par est, ob-  
servantia, communi collegii, & iuuenum, hunc sibi fauorem  
enixe expetentium, nomine, etiam atque etiam  
rogantur.

F. 24. DIE XIII. AVGVSTI CICDCCXLII.

# Farbkarte #13



B.I.G.

## COMMENTATIO CONTINVATA DE NATALI MVNDI

INVITATIONI DECENTI

AD TRES ACROASES PVBLICAS

SVB INITIVM ET FINEM

SOLLEMNIS GYMNASII GOTHANI LVSTRATIONIS

ET POST EXACTAS FERIAS CEREALES

D. XIV. AVGVSTI

D. XXVIII. AVGVSTI

ET D. IL SEPT. A. CIOGCCXL.

HORA VII. MATVTINA CELEBRANDAS

ET ORATIONES

IVVENVM STVDIORVM SPECIMINA

IN LVCEM ADSPECTVMQVE ERVDITORVM

PROFERRE HAVD DETRECTANTIVM

BENIGNE AVDIENDAS

PRAEMISSA

A

IO. HENR. STVSS

ILL. GYMN. RECT. ET SOCIET. REG. PRVSS. SCIENT. SOC.

GOTHAE

LITTERIS REYHERIANIS.